

Prudens Edwardi Primi consilium.  
Flint pertinet ad dignitatem gladii Cestriae, & primogeniti Regis Angliae olim appellati fuerunt Comites Cestriae & Flint. Sed cum ad Regium patrimonium accessisset, Edwardus Primus, quod ad suas opes tuendas, & Vallulos coercendos commodissimum ratus erat, hanc, & omnem Valliæ oram maritimam sibi tenuit. Interiora proceribus suis,

ut visum erat, assignavit, consilium Augusti sequutus, qui validiores, & exterioreas provincias ipse suscepit, cæteras proconsulibus sortito permisit. Factum id autem specie quidem ut imperium defenderet, sed re ipsa, ut exercitus omnes in sua haberet potestate.

*In hoc Flintensi Comitatu habentur parœcia tantum 28.*

## PRINCIPES WALLIÆ.

**P**Rincipes Walliæ antiquioris è stirpe Britannica ex Annalibus Walliæ editis petantur, mihi autem recentiores è regio Anglorum sanguine pro suscepti operis ratione hic compendio enumerare operæ pretium videtur. Edwardus Primus, cui juveni Henricus Tertius pater Principatum Walliæ concederat, cum Leolino *Ap Gryffith* postremo ex Britannico stemmate Principe occiso, Wallici Principatus quasi nervos incidisset, anno regni sui duodecimo, eundem Anglia regno adunavit, filioque ejus Edwardo de *Caernarvon*, quem Walliæ Principem designavit, fidem & obsequium universa Provincia præstítit. Sed Principis Walliæ titulum Edwardus ille Secundus filio Edwardo non contulit, sed tantum nomen Comitis Cestriae & Flint, quantum ego haec tenus è Regni Regestis comperi. Edwardus autem Tertius primum filium Edwardum cognomine *Nigrum* hoc titulo solemní investitura ornavit, quem bellica gloria circumfluentem mors immature præripuit, postea que ejus filium Richardum de *Burdigala* regni hæredem eodem insignivit, qui regno ab Henrico Quarto spoliatus nulla suscepit sobole misere periit. Henricus ille Quartus filio primogenito, qui Henrici Quinti nomine splendide inclaruit, Walliæ Principatum detulit. Filius autem ejus Henricus Sextus, qui patre moriente in cunis vagiit, hunc, quem ipse nunquam accepit honorem, Edwardo filiolo contulit, cui in prælio Tewkesburyensi capto cerebrum ab Eboracensi factione crudeliter dispersum. Non longo interjecto tempore Rex Edwardus Quartus regni compos filiolum Edwardum, qui Quintus postea Edwardus in Regum serie, Walliæ Principem creavit: & mox patruus, qui eum è medio sustulit, Richardus Tertius Edwardum filium suum, quem Edwardus Quartus Sarisburia Comitem fecerat (quod dudum didici) in ejus locum surrogavit, qui statim obiit. Postea Henricus Septimus primum Arthurum, eoque defuncto, Henricum, qui postea Henrici Octavi nomine notissimus, Walliæ Principes constituit. His singulis Principatus Walliæ investitura & diplomate tradito delatus hisce verbis, *Tenendus sibi & heredibus Regibus Angliae*. Reges enim tam præclara de filiis primogenitis bene merendi occasione se spoliare noluerunt, sed tanto beneficio cum visum fuerat sibi obstringere consultissimum judicarunt. Maria, Elizabetha & Edwardus Henrici Octavi liberi, licet investituram & diploma non acceperint, vulgo appellati fuerunt suo ordine *Principes Vallia*. Eo etenim tempore Wallia authoritate Parliamentaria regno Angliae ita conjuncta fuit, & adunata, ut eodem jure uteretur. Iam è Vallia in Angliam pedem referam, & ad Brigantes accedendum.

29 Edw. I

26 Henr.

8.

